

SECTIO VI.

Utrum Christiani teneantur hujusmodi infantes baptizare.

1. Diximus hunc actum esse licitum; dicendum superest, an sit etiam ex præcepto necessarius; præsertim, quando christiani hos infantes a parentibus separatos in bello capiunt, ita ut tunc non possint licite eos parentibus seu tutoribus reddere, etiam accepto pretio. Quod dubium non invenio sub his terminis ab auctoribus tractatum; est tamen grave, quodque interdum nobis in praxim venit; et ideo dicam breviter, quidquid in utramque partem occurrit, quidque probabilius censeam.

2. *Pars affirmativa probatur.* — *Primo.* — *Secundo.* — *Tertio.* — Quod ergo milites, qui hos infantes captivant, vel alii, ad quorum dominium perveniunt, teneantur eos baptizare, nec possint licite amplius eos vendere infidelibus, videtur colligi ex Scoto, Gabriele, et aliis, quatenus sentiunt, principes christianos habentes infideles subditos, non solum posse, sed etiam teneri ad baptizandos eos, si commode possint. Et potest fundari primo in officio et jure domini, ratione cujus, sicut in hos dominos transfertur potestas supra hos infantes, ita etiam cura salutis eorum. Ergo tenentur providere necessitati illorum; ergo et baptizare illos, quod est eis maxime necessarium. Et confirmatur, nam sicut filius ante usum rationis, quamdiu est sub cura parentis, non habet voluntatem propriam, sed voluntas patris reputatur voluntas ejus, ita postquam constitutus est sub potestate domini, voluntas domini reputatur voluntas servi. Ergo tenetur dominus id velle fieri circa servum suum infantem, quod ipse, si posset, velle deberet. Sed si esset in potestate servi, teneretur potius velle baptizari, quam reddi parentibus; ergo hoc ipsum tenetur velle et facere dominus. Quod etiam sic explicatur: nam si ille servus posset ratione uti, et petere baptismum, non posset licite dari aut vendi parentibus; ergo eandem voluntatem tenetur habere dominus, per cujus voluntatem parvulus regitur. Secundo oriri potest hæc obligatio ex charitate, qua tenemur amare proximum in corporalibus magis quam nos ipsos in corporalibus vel temporalibus; et ideo tenemur ei subvenire in spirituali necessitate existenti, etiam cum aliqua jactura temporalis commodi pro ratione ne-

cessitatis et jacturæ, ut constat ex doctrina D. Thomæ 2. 2, quæst. 26, art. 5, et quæst. 33, art. 2. Sed in præsentī casu, necessitas parvulorum est gravissima ac fere extrema. Nam si reddantur parentibus, moraliter loquendo, constituentur in evidenti periculo infidelitatis, et mortis æternæ; si autem retineantur et baptizentur, in primis liberantur a gravissimo malo infidelitatis, et gravissimorum peccatorum, quæ illam consequuntur; et deinde constituuntur in statu, in quo probabilissime sperari potest æterna eorum salus. Deinde huic eorum necessitati subveniri potest absque ulla fere jactura temporali; nam licet parentibus non vendantur, poterunt vendi fidelibus. Dices: si nunquam reddantur parentibus, erit magna illorum copia inter fideles; unde fiet, ut vili pretio aestimentur. Sed hoc et parvi momenti est, si cum spirituali necessitate conferatur, et moraliter hoc non potest accidere. Quia absolute vix alicubi est magna copia horum infantium. Et confirmatur, quia tenemur baptizare parvulum in extrema necessitate constitutum et morti proximum, etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis, ut tenet probabilior sententia, fundata in illo principio de ordine charitatis, quam tenet Sylvester, verbo Bellum 2, § 4, et Cordub. qui refert alios lib. 1 Quæst. Theologic., quæst. 26, dub. ultim. Ergo a fortiori erit obligatio in præsentī casu, ubi spiritualis necessitas parvuli tam gravis est, et temporale incommodum fere nullum. Tertium argumentum sumi potest ex ratione cooperationis. Nam christianus vendens vel tribuens hos parvulos infidelibus, videtur certe cooperari infidelitati eorum, quam exercebunt in hujusmodi parvulos, vel saltem præbere illis materiam vel occasionem prave operandi. Hoc autem videtur esse intrinsece malum, sicut dare arma gerenti injustum bellum vel pecunias exercenti usuras.

3. *Pars negativa probabilior.* — Nihilominus simpliciter loquendo, verius videtur, sine ullo peccato posse hos infantes vendi parentibus, et consequenter absolute non esse obligationem eos baptizandi. Cui sententiæ imprimis favet communis doctrina Theologorum docentium, non licere, vel saltem non expedire, separare hos infantes a parentibus, ut baptizentur. Ejusdem autem fere rationis est retinere parvulum, ne parentibus reddatur, et separare illum. Et quanquam hoc posterius aliquid esse majus videatur, tamen auctores, qui censent hoc posterius non licere, vel non

expedire, ut sunt Durandus, Paludanus, Cajetanus, Soto, majori ratione responderent, illud prius, non esse præceptum, si de hoc essent interrogati.

4. *Probatur hæc sententia.* — Fundamentum autem hujus sententiæ esse debet, quia nullum est sufficiens principium, unde hæc obligatio oriatur. Supponimus enim, ut per se clarum est, nullum esse positivum jus, in quo fundetur. Assumptum ostenditur, discurrendo per tria capita superius posita. Nam primo, ex vi domini non oritur hæc obligatio; licet enim dominus, quamdiu dominium retinet, teneatur habere curam servi, tamen non tenetur perpetuo conservare hujusmodi dominium, quia neque est aliqua lex justitiæ, quæ ad hoc obliget; neque hic est necessarius actus domini, sed indifferens est ad retinendam vel alienandam rem, quæ sub dominium cadit. Recte igitur probat illa ratio, teneri christianum dominum ad baptizandum servum suum infantem, quem apud se habet a parentibus separatum, si decernat, nunquam eum parentibus restituere; non tamen probat, teneri ex titulo domini ad non restituendum. Neque aliquid probat illa ratio, quod voluntas domini reputatur voluntas infantis. Est enim valde metaphorica, neque potest ad omnes actiones applicari, præsertim ad hanc actionem vendendi servum ipsum, in qua dominus utitur jure suo, et operatur proprio arbitrio, et voluntate, et non quatenus in potestate sua retinet voluntatem servi. Nihil ergo refert, quod illa actio existimetur voluntaria aut involuntaria parvulo secundum voluntatem interpretativam, quam habere deberet, si posset ratione uti, quia dominus non tenetur conformare se huic voluntati excogitatae potius a nobis, quam in re ipsa existenti; tum quia ipse non operatur, ut in se continens vel interpretans rationalem voluntatem parvuli, sed ut dominus, qui potest re sua uti, et alienare illam; tum etiam quia cum illa interpretativa voluntas parvuli, neque existat, neque sit regula præsentis actionis, nihil confert ad honestatem præsentis ejus. Quare non est eadem ratio de infideli jam adulto, qui vellet potius baptizari, quam restitui parentibus. Nam ille jam est sui juris in his, quæ spectant ad bonum animæ suæ, in quibus nec parenti, nec domino obedire tenetur cum morali periculo suæ salutis. Parvulus vero semper regitur aliena voluntate; et quamvis sit sub potestate domini, tamen ipse dominus potest a se abdicare hoc jus,

illudque parenti restituere absque ulla injustitia, vel injuria, quam in hoc faciat ipsi parvulo.

5. *Objectio.* — *Respondetur.* — *Instantia.* — *Respondetur.* — Neque etiam hæc obligatio oritur ex charitate; nam licet hi parvuli hæc ratione constituantur in aliquo periculo, non tamen obligat charitas ad subveniendum illis hoc medio, non solum ob temporale incommodum, quo tota ratio superioris sententiæ nitetur, sed propter alias graviore causas, quales sunt baptismi reverentia, major libertas, et honor nostræ fidei et religionis, conservatio juris gentium valde necessarii reipublicæ christianæ. Singulæ ex his declarari possunt ex rationibus supra factis in favorem sententiæ D. Thomæ, nimirum, quod infideles hoc modo baptizati frequenter sunt parum constantes in fide, quodque non decet religionem nostram uti hujusmodi mediis violentis, et valde extrinsecis ad aggregandos homines ad hanc religionem; nam hoc potest reddere illam odiosam infidelibus. Quæ rationes, quamvis extrinsecæ videantur, tamen etiam charitatis ratio extrinseca est, et ut illa obliget, omnes circumstantiæ tam extrinsecæ, quam intrinsecæ sunt considerandæ. Rursus redemptio captivorum jure gentium est introducta, et est valde necessaria ad pacem hominum, et ad vitanda majora mala, et homicidia. Ergo non obligat ratio charitatis ad nunquam servandum seu exequendum hoc jus gentium in hujusmodi infantibus, quia hinc fortasse majora incommoda sequerentur. Quod potest in hunc modum explicari, quia si infideles intelligerent, christianos nunquam donare libertate hos infantes, atque ad hoc jus suis legibus obligari, etiam ipsi infideles retinerent apud se nostros infantes captivos, neque esset locus redemptioni eorum. Exponerentur ergo filii christianorum magno periculo, ut filios infidelium eo liberaremus. Imo detrimentum nostrorum infantium esset multo certius, quam sit utilitas infantium infidelium, quia facilius est degenerare a vera fide, et in errorem deflectere, quam constanter perseverare in fide suscepta sine proprio consensu, et contra veterem parentum consuetudinem. Dicitur fortasse, non esse faciendum malum, ut vitetur majus. Respondetur, hoc esse quod inquirimus, an hoc malum sit, scilicet, reddere hos parvulos parentibus infidelibus, et hoc negamus esse malum. Nam per se ex objecto nullam malitiam habet. Aliud vero malum, quod inde timetur, scilicet, quod hi

parvuli fiant infideles, non fit a christianis illos vendentibus, sed a parentibus. Permittitur autem a christianis, qui illos vendunt; et hoc modo licitum est, et charitati consentaneum, permittere minus magisque alienum malum, propter vitandum majus ac magis proprium. Aliter responderi potest, revera non vitari hoc majus malum, quia infideles de facto nunquam concedunt libertatem infantibus christianorum, quos captivant, sed omnino apud se retinent, ut paganos illos efficiant; ita enim refertur. Respondetur: si ita est, licitum est, par pari referre. Vix tamen credibile est, eos nunquam divendere hujusmodi infantes, quamvis fortasse difficilius et majori pretio id faciant; quapropter non expedit eis dare occasionem, ut in hoc negotio duriores fiant; et ideo non est hæc obligatio nostris militibus seu fidelibus imponenda. Accedere ulterius potest temporale detrimentum, quod interdum esse potest non minimæ existimationis, si nonnulla alia præter supra dicta considerentur. Primum, quod hujusmodi servi toto tempore infantiae nullam utilitatem afferunt dominis suis, sed potius sunt illis sumptui, et labori. Deinde, sæpe non possunt illos apud se retinere, neque educare et alere, ut, v. gr., si domini, qui illos captivant, sunt milites, qui neque inveniunt christianos homines, qui illos velint emere, nec possunt commode illos in aliquam provinciam christianorum transmittere, nec secum ferre. Cur ergo hi non poterunt pretio accepto ad suos remittere? Quin potius hinc ulterius fieret, ut milites intelligentes, se non posse captivare hos parvulos cum aliqua utilitate, sed potius cum magno onere et obligatione, vel remissius bellum agant, vel certe illos interficiendos censeant potius quam captivandos. Igitur, pensatis omnibus, hoc medium perpetuæ servitutis, quod valde extrinsecum est, tot habet incommoda, ut non possit absolute existimari charitas ad illud obligare, loquendo moraliter ac regulariter, quamvis fortasse in aliquo speciali casu, præsertim si extrema necessitas interveniat, hæc obligatio admitti possit.

6. *Primum corollarium.* — Secundum corollarium. — Ultimum caput, quod ex cooperatione sumebatur, minoris est difficultatis; negamus enim hanc esse cooperationem. Nam christianus vendens servum utitur jure suo, et rem facit ex objecto vel indifferentem, vel bonam, scilicet, filium parentibus restituere. Quicquid vero postea sequitur, est per

accidens ex malitia parentum, quam alter vitare non tenetur propter dictas causas; et ideo illi non imputatur. Sicut non est malum solvere pecunias homini exercenti usuras, quamvis ipse male sit illis usurus, quia hoc est valde extrinsecum et accidentarium. Nulla est ergo sufficiens ratio hujus obligationis, generatim loquendo. In particulari vero, ut dixi, considerandæ sunt omnes circumstantiæ, non solum ad judicandum de obligatione, quæ vel nunquam, vel raro intercedit, sed etiam ad consulendum, quid agere expediat, quidve melius sit. Atque hinc etiam a fortiori colligitur, quando aliquis apud se habet captivum parentem simul cum parvo filio, non esse obligationem separandi unum ab altero, ut baptizetur infans, tum quia opinio probabilis est, hoc non licere; multo ergo probabilius erit, non esse necessarium. Tum etiam, quia fere omnes rationes factæ, eadem vel majori proportionem hic applicari possunt, neque ulla nova ratio in contrarium occurrit.

ARTICULUS XI.

Utrum pueri, in maternis uteris positi, sint baptizandi (4, d. 6, quæst. 1, art. 1, quæst. 1, et dist. 23, q. 2, art. 2, quæst. 1, ad 1 et 2).

1. *Ad undecimum sic proceditur. Videtur, quod pueri in maternis uteris existentes possint baptizari. Efficacius enim est donum Christi ad salutem, quam peccatum Adæ ad damnationem, ut Apost. dicit Roman. 5. Sed pueri in maternis uteris damnantur propter peccatum Adæ. Ergo multo magis salvari possunt per donum Christi, quod quidem fit per baptismum. Ergo pueri in maternis uteris existentes possunt baptizari.*

2. *Præterea, puer in utero matris existens, aliquid matris esse videtur. Sed baptizata matre, baptizetur quicquid est ejus intra ipsam existens. Ergo videtur, quod baptizata matre, baptizetur puer in utero ejus existens.*

3. *Præterea, mors æterna pejor est, quam mors corporalis. Sed de duobus malis minus malum est eligendum. Si ergo puer in utero matris existens baptizari non potest, melius esset, quod mater aperiretur et puer eductus baptizaretur, quam quod puer æternaliter damnaretur absque baptismo decedens.*

4. *Præterea, contingit quandoque, quod aliqua pars pueri prius egreditur, sicut legitur Genes. 38, quod pariente Thamar, in ipsa effusione infantium, unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens: Iste*

egredietur prior; illo vero manum retrahente, egressus est alter. Quandoque autem in tali casu imminet periculum mortis. Ergo videtur, quod illa pars debeat baptizari, puero adhuc in materno utero existente.

Sed contra est, quod August. dicit ad *Dardanum* (epist. 57, inter med. et fin., tom. 2): *Nemo renascitur, nisi primo nascatur. Sed baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Non ergo debet aliquis baptizari, priusquam ex utero nascatur.*

Respondeo dicendum, quod de necessitate baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo abluatur, cum baptismus sit quædam ablutio, ut supra dictum est (quæst. 66, art. 1). Corpus autem infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo abluari aqua, nisi forte dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat. Sed hoc esse non potest, tum quia anima pueri, ad cujus sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris; tum quia corpus pueri animati jam est formatum, et per consequens a corpore matris distinctum. Et ideo baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem, in utero matris existentem. Unde Augustin. dicit contra *Julianum* (lib. 6, c. 8, non longe ante med., tom. 7): *Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet, ita ut ejus pars imputetur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est, aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero. Nunc vero cum ipse etiam, scilicet infans, baptizetur, non utique ad maternum corpus, cum esset in utero, pertinebat. Et ita relinquitur, quod nullo modo infantes in maternis uteris existentes baptizari possunt.*

Ad 1 ergo dicendum, quod pueri in maternis uteris existentes, nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant. Unde non possunt subjici actioni humanæ, ut per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem. Possunt tamen subjici operationi Dei, apud quem vivunt, ut quodam privilegio gratiæ sanctificationem consequantur, sicut patet de sanctificatis in utero.

Ad 2, dicendum, quod membrum interius matris est aliquid ejus per continuationem et unionem naturalem partis ad totum. Puer autem in utero matris existens, est aliquid ejus per quamdam colligationem corporum distinctorum. Unde non est similis ratio.

Ad 3, dicendum, quod non sunt facienda mala, ut veniant bona, ut dicitur *Roman. 3;*

et ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.

Ad 4, dicendum, quod expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente; et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vite ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.*

COMMENTARIUS.

1. Hic articulus fere expositus est in superioribus; nam si parvulus omnino clausus est in utero matris, constat non posse baptizari, quia neque aqua tangi in seipso potest, neque per matrem baptizari. Nam cum sit persona ab illa distincta, ablutio matris non potest ablutio filii reputari, ut bene notavit Augustinus, 6 cont. Julian., cap. 1, et cap. 6, habetur in cap. Si quidquid, de Consec., dist. 4. Et ideo in Conc. Neocæsar., cap. 6, dicitur, baptismum mulieris prægnantis non communicari, nec prodesse filio. Oportet ergo, ut prius aliquo modo egrediatur ex utero. Et quidem extra casum necessitatis, jam supra diximus expectandum esse, ut perfecte nascatur; in necessitate vero baptizari potest statim ac ex utero exiit pars corporis, quæ ad baptismum perficiendum sufficit, ut superioris disp. 20, sect. 2, dictum est.

2. Non est expectanda propria nativitas, ut infans baptizari possit. — Hic vero solum addendum occurrit, cum dicitur debere hominem prius nasci ex utero, vel omnino, vel ex parte, quam baptizetur, non oportere intelligi de propria nativitate. Quacumque enim ratione fieri possit, ut abluatur, id satis erit ad valorem baptismi, etiam si propria nativitas humana non præcedat, quia substantia sacramenti consistit in ablutione sub debita forma verborum. Unde si mortua sit mater habens infantem in utero, et aperiatur, ac detegatur puer, illa non est propria corporalis nativitas, et tamen circa illum puerum

perfici potest baptismus; nec solum potest, sed etiam debet, quando mater prius mortua est; nam interficere, et aperire adhuc viventem, ne prius filius sine baptismo moriatur, nunquam licet, ut bene Paludan. notavit in 4, dist. 6, quæst. 4, quod est intelligendum, etiam si mater sit jam morti proxima, et infallibiliter expectetur mors ejus, ac probabiliter timeatur, ne filius prius moriatur. Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; et quamdiu vita durat, nemo est dominus ejus, ut possit illam violenter auferre propter salutem alterius.

3. Si mulier prægnans sit morte digna, accelerari potest ejus mors, ut puer baptizari possit. — Exceptio probatur. — Solum posset excipi casus, quando mater alias est morte digna, et juste est ad illam damnata. Nam licet tunc regulariter differendum sit supplicium matris usque ad partum, propter bonum prolis, ut habetur in lege Prægnantem, ff. de Poenis, tamen si fingatur casus, in quo eo tempore, quo differtur supplicium, credatur prius moriturus parvulus, quam ad partum, vel nativitatem pervenerit, et in eo casu quamvis Paludan. dubius sit, quia (inquit) hoc non est in jure expressum, mihi tamen non videtur esse dubium, quin tunc liceat anticipare supplicium, quantum fieri possit, servato ordine juris et justitiæ quia tunc nulli fit injuria, et cedit in maximum spirituale bonum prolis. Nam dilatio quæ in jure conceditur, non est propter matrem, sed in filii utilitatem; si ergo non solum cesset hæc utilitas, verum etiam credatur cedere in magnum detrimentum prolis, non est necessarium, nec legi consentaneum in tali casu differri supplicium.

4. Objectio. — Respondetur. — Dices, cessante fine legis in particulari, non cessare obligationem legis. Respondetur primo, illud esse certum, quando tantum cessat negative, non vero si cesset contrarie, prout accideret in prædicto casu, quia non solum non esset utilis proli talis dilatio supplicii, sed etiam esset in magnum detrimentum ejus. Deinde illa lex respectu prolis est potius beneficium quoddam et privilegium, quam præceptum; et ideo, si in particulari casu non habet rationem beneficii, et privilegii, sed potius nocu- menti, talis casus non censetur sub illa lege comprehendi. Et hæc quidem vera sunt ex suppositione hujusmodi eventus. Existimo tamen moraliter vix posse accidere hujusmodi casum. Nam semper majus periculum

imminet proli, si mater interficiatur, et ideo, loquendo practice et moraliter, semper est differendum supplicium usque ad partum.

ARTICULUS XII.

Utrum furiosi et amentes debeant baptizari.

1. Ad duodecimum sic proceditur. Videtur, quod furiosi et amentes non debeant baptizari. Ad susceptionem enim baptismi requiritur intentio in eo qui baptizatur, ut supra dictum est. Sed furiosi et amentes, cum careant usu rationis, non possunt habere ordinatam intentionem; ergo non debent baptizari.

2. Præterea, homo bruta animalia superexcedit in hoc, quod habet rationem. Sed furiosi et amentes non habent usum rationis; et quandoque etiam in eis non expectatur, sicut expectatur in pueris. Ergo videtur, quod sicut bruta animalia non baptizantur, ita nec tales furiosi et amentes debent baptizari.

3. Præterea, magis est ligatus usus rationis in furiosis vel amentibus, quam in dormientibus. Sed baptismus non consuevit dari dormientibus. Ergo non debet dari amentibus et furiosis.

Sed contra est, quod August. dicit 4 Confess., c. 4, circa med., de amico suo, qui cum desperaretur, baptizatus est nesciens, et tamen baptismus in eo efficaciam habuit. Ergo carentibus usu rationis, aliquando baptismus dari debet.

Respondeo dicendum, quod circa amentes et furiosos est distinguendum. Quidam enim sunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla; in quibus etiam nullus usus rationis apparuit. Et de talibus quantum ad baptismi susceptionem, videtur esse idem iudicium et de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ, ut supra dictum est (art. 9 hujus quæst.). Alii vero sunt amentes, qui ex sana mente, quæ habuerunt prius, in amentiam inciderunt. Et tales sunt iudicandi secundum voluntatem quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent. Et ideo, si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi in furia et amentia constitutis, etiamsi tunc actu contradicant; alioquin, si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi (ut habetur in Decret., lib. 3, tit. 42, cap. 2 in fin.). Quidam vero sunt qui, etsi a nativitate fuerint furiosi vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti

QUÆSTIO LXIX.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectibus baptismi.

Et circa hoc quærentur decem.

1. Utrum per baptismum auferantur omnia peccata.

2. Utrum per baptismum liberetur homo ab omni pœna.

3. Utrum baptismus auferat pœnalitates hujus vitæ.

4. Utrum per baptismum conferantur homini gratia et virtutes.

5. De effectibus virtutum, qui per baptismum conferuntur.

6. Utrum etiam parvuli in baptismo gratiam et virtutes accipiant.

7. Utrum per baptismum aperiatur baptismi janua regni cœlestis.

8. Utrum baptismus æqualem effectum habeat in omnibus baptizatis.

9. Utrum fictio impediatur effectum baptismi.

10. Utrum, recedente fictione, baptismus obtineat effectum.

ARTICULUS I.

Utrum per baptismum tollantur omnia peccata (2, dist. 32, quæst. 1, art. 1, et 4, dist. 4, quæst. 2, art. 3, quæst. 1, et d. 17, quæst. 3, art. 5, quæst. 1, et 4 cont., cap. 50 et 72, col. 2, et Hebræo. 6, lect. 3, fin.).

1. Ad primum sic proceditur. Videtur, quod per baptismum non tollantur omnia peccata. Baptismus enim est quædam spiritualis regeneratio, quæ contraponitur generationi carnali. Sed per generationem carnalem homo contrahit solum originale peccatum; ergo per baptismum solvitur solum originale peccatum.

2. Præterea, pœnitentia est sufficiens causa remissionis actualium peccatorum. Sed ante baptismum in adultis requiritur pœnitentia, secundum illud Actorum 2: Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. Ergo baptismus nihil operatur circa remissionem actualium peccatorum.

3. Præterea, diversorum morborum diversæ sunt medicinæ, quia, sicut Hieronym. dicit (Marc. 9, super illud verbum: Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi, etc., tom. 9):

possunt. Unde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti. Et debet eis tunc sacramentum conferri, si periculum timeatur. Alioquin melius est, ut tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ad hoc, quod devotius suscipiant sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas suscipiendi baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. Quidam vero sunt, qui, etsi non omnino sanæ mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur, quod possunt de sua salute cogitare et intelligere sacramenti virtutem. Et de talibus idem est iudicium, sicut de his, qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem invitati.

Ad 1 ergo dicendum, quod amentes, qui nunquam habuerunt, nec habent usum rationis, baptizantur ex intentione Ecclesiæ, sicut et ex actu Ecclesiæ credunt et penitent, sicut supra de pueris dictum est (art. 9 hujus quæst.). Illi vero, qui aliquo tempore habuerunt vel habent usum rationis, secundum propriam intentionem baptizantur, quam habent vel habuerunt tempore sanæ mentis.

Ad 2, dicendum, quod furiosi vel amentes carent usu rationis per accidens, scilicet propter aliquod impedimentum organi corporalis, non autem propter defectum animæ rationalis sicut bruta animalia. Unde non est de his similis ratio.

Ad 3, dicendum, quod dormientes non sunt baptizandi, nisi periculum mortis imminet; in quo casu baptizari debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum, sicut de amentibus dictum est (in cor. art.), sicut August. narrat in 4 lib. Confess. (c. 4, parum ante med., tom. 4), de amico suo, qui baptizatus est nesciens, propter periculum mortis.

COMMENTARIUS.

Hic articulus jam est in superioribus explicatus. Nam hi amentes, si sint perpetui, inter infantes computantur; si vero aliquando usum rationis habuerunt, eadem est ratio de illis, quæ de aliis adultis; iudicandi autem sunt juxta statum, et voluntatem in qua inventi sunt, quando in amentiam inciderunt. Neque circa litteram D. Thomæ aliquid novum, aut speciale notandum occurrit.